



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Societas Iesu per universum Mundum dispersa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

existimatio, ut scientiæ omnes perditæ eorum operâ restitui posse videantur, ex quo teterrima eorum apparet invidia, quos Societati huic ignorantiam exprobare non puduit. Sed hoc convicium non minus in ipsis locum habet, quam in Hercule, ignavia & formidinis crimen. Hi assiduas cum Lutheranis aliisque sectariis contentiones suscipiunt, atque in primis ne juventus eorum veneno corrumpatur, operam dant. Eorum præsidio *Austria* quoque & *Polonia* contra hæreticos utitur. Nam à Ferdinando *Viennam* evocati, mox per reliquas quoque civitates diffusi sunt, in convertendis Turcis, Anabaptistis, Antitrinitariis & aliis, nulli labori parcentes. Cujus rei exempla nobis suppeditant *Praga*, *Olomutium*, *Gracium*, *Labacum*, *Lincium*, &c. quibus in locis Hussitarum, Picardorum & Lutheranorum numerus, post societatis adventum fere ad nihilum est redactus. In *Polonia* & *Lithuania* plurima quoque Collegia numerantur, *Cracoviense*, *Brunsvogense* (quod in Prussia est ad *Polonia* tamen ditionem pertinet) *Pultaviense*, *Vilnense*, *Pononiense*, *Taroslaviense*, *Pultarviciense*, *Lublinense*, *Rigense*, *Calissense*, *Miešvicense*, *Leopolitense*: in quibus omnibus mira est tam doctrina omnigena quam virtute præstantissimorum virorum atque adolefcentum copia, ut iis locis ab hæresi non valde metuendum sit. *Braunspergense* Collegium in Episcopatu *Varmiensi* *Stanislaus* *Hofius* Cardinalis & Episcopus, Anno M. D. LXIV. è consilio Tridentino reversus, fundavit, ut Prussia inde diversis sectis laboranti succurri posset. *Gallia* quoque Belgica frequentibus ejusdem Societatis Collegiis abundat, quæ sunt *Lovanii*, *Tornaci*, in *sano S. Audomari*, *Duaci*, *Antuerpiæ*, *Trajecti*, *Brugis*, *Iperis*, *Cortraci*, *Valencenis*, *Gandavi*, *Insulis*, *Montibus Hammonis*, in *Atrebatibus*, *Bruxella*, *Cameraci*, *Lucemburgi*, & *Leodii*: quæ tamen primo illo populi regi rebellantis & hæresin defendentis motu ac funesto bello omnia fuerunt everfa, exceptis *Lovanienfi*, *Sant-Audomariensi*, & *Leodienfi*; sed deinde à magno illo *Demetrio Poliorcete*, *Alexandro Farnesio* *Parmae* Duce, restituta, & è lateritiis marmorea, ut *Roma* ab *Augusto*, facta sunt; præsertim *Antuerpiense*, *Brugense*, *Valencænense*, *Iperense*, *Duacense* & *Tornacense*. De novo vero postea edificata sunt *Cameracense*, *Montense*, & *Cortracense*. Iisdem præsidiiis pagi *Helveticorum* *Catholici* contra *Zvvinglianos* sese muniverunt, *Lucernates* scilicet, & *Friburgenses*, quorum civitas unius diei itinere à *Laufanna* abest. Quam ob causam *Berna-*

tes *Zvvingliani* *Laufanna* quoque Collegium seu scholam instituerunt, & *Friburgensi* quasi opposuerunt. Cupide etiam hanc Societatem amplexus est & in sua passim oppida recepit prudentissimus *Dux Lotharingæ*, ejusque ope potissimum ditionem suam ab hæreseos contagione liberam conservavit, quumvis mediam inter *Galliam* & *Germaniam* interjectam, & *Sedano*, *Jametio*, *Mezeris*, & *Mediomatricum* urbe, locis hæreticorum plenis, undique cinctam: exstructa *Pontemussi* insigni Academia, cui deinde Collegium quoque *Viridunense* accessit.

IV. Sic *Ignatio* ex Dei gratia ea contigit felicitas, ut vivens ac videns tam admirabiles laborum suorum fructus ceperit, & incredibilem Dei benignitatem in Societatem à se institutam senserit, qua illa intra paucos annos per totum terrarum orbem sese diffudit. Ipso enim vivente, duodecim constitutæ sunt provincie, nimirum *Lusitania*, *Castilia*, *Andalusia*, *Arragonia*, *Italia*, *Neapolis*, *Sicilia*, *Belgium*, *Germania superior*, *Francia*, *Basilica*, & *India Orientalis*, in quibus centum fere erant Collegia seu domicilia Societatis; è quo Lutherani facile conjiciebant doctrinæ suæ propagationem in puncto esse solstitii civilis & retrogradationis; ac præclare secum actum iri, si omisso omni ulterioris acquisitionis conatu, se suaque possent defendere. Hoc illud fuit quod *Melanchthonem* morti vicinum tam anxium habuit, ut audiens *Iesuitas* flumina & maria transmittere, & culta omnia atque inculta peragrare, nec quemquam fere jam orbis esse angulum quo non penetrarint, & ubi non semen, sanguine suo non raro tinctum ac rubefactum, reliquerint, ductis ex intimo corde suspiriis exclamavit: *Ah quid hoc esse dicam? Video sane totum Mundum brevi Iesuitis repletum iri.* Quid hic dicturus fuerat, si hodie videret *xxix*. Provincias, *ii*. Viceprovincias, inque iis Collegia *ccxcix*. (quamvis pauca ex illis nondum restituta sint) *xxiii*. domus Probationum separatas. *xxxi*. Novitiatu separatos, & *xcvi*. Residentias: in quibus Anno M. D. *xciv*. recensita sunt octo *Iesuitarum* millia quingenti & undeviginti. Quid idem *Melanchthon* dicturus fuerit, si iterata editione huius adversus hæreses historiae, intelligeret jam ad *xl*. Provincias numerum excrevisse, & proportionem Domos professas ultra *xxx*. Collegia plura quam *io*. Residentias fere totidem & *Missiones* multo plures, Sociorumque ad *xx*. Millia numerum excrevisse. Ignoscat mihi *Lector* tam multis Societatis hu-

tis hujus instituta describenti. Per horum enim potissimum latera hæretici Ecclesiam petunt, hos tamquam victimas gladiis suis destinant, hos cane pejus & angue oderunt, *extremum eos Sathana excrementum, & postremum ventris crepitum* (venia sit mihi ab honestis auribus) appellantes [a] At Vos, O invicti & indefatigabiles Æacidae, cœlitus vos missos credimus, ut tam longo ac funesto bello finem imponatis. Vobis, ut à Mercurio olim Ulyssi, divina illa herba Moly à Deo data est, ut tantam miserorum hominum à venefica illa Circe, hæresi nimirum excantatorum & in bestias transmutatorum multitudinem pristinae formæ restituatis, aliosque quos mali illius vis nondum attigit, præservetis. À vobis, duces fortissimi, ultimus ille ictus Lernæo monstro infingendus expectatur. In facis nempe est, ut sicut Troia sub Pyrrho, sic sub vobis hæresis pereat atque excindatur. Quamvis autem merita vestra & labores non ut par est ab omnibus accipiantur & compensentur, ne tamen cessate victorias vestras persequi, donec hostis plane prostratus & devictus, in triumphum à vobis ducatur. Vidisti supra hæreseos ortum & progressum: hic ejusdem vides decremента. Sed ad hæreseos in Germania historiam supra ad finem libri III. à me abruptam, redeo, ubi prius quomodo Italia ab hæresi contagione immunis conservata sit, indicaro.

[a] *Schlusselfburg De Sect. Jesu in Præfat.*

QUOMODO ITALIA HÆRESEOS evaserit contagionem.

CAPUT QUARTUM. ARGUMENTUM.

- I. *Hæresis non caput aut jugulam, sed ea tantum membra, ubi minus periculi, invadere potest.*
- II. *Italia ab hæresi immunis.*
- III. *Quibus contra eam remediis usa.*
- IV. *Italia religionis & sanctitatis mater. Hæreticorum in eam calumnia diluuntur.*
- V. *Quanta pietate & devotione, Roma præsertim vivatur.*
- VI. *Clementis VIII. Pontificis sancta vita.*

Verus ille & versipellis Ecclesie hostis, cor Ecclesie ab ictibus suis, esse tutum animadvertens, exteriora ejus & quæ circa eam, omnibus viribus oppugnanda sibi statuit, ratus hac ratione pedetentim ad ipsa viscera se aliquando pe-

netraturum, ac plenam victoriam consequuturum. His artibus ante Lutherum quoque usus fuit in Bohemia schismate, quod veluti fermentum fuit nostri temporis hæreseos. Facile enim intelligebat vires suas tantas non esse ut capiti expugnando sufficerent: eoque, & si omnia egerit, numquam tamen totam Catholicam religionem penitus evertere potuit, quæ capite suo tuta, facile omnes ejus imperus exceperit & elisit. Altissimi montes numquam ita nivibus & glacie tecti sunt, quin summa eorum fastigia cœlo proxima non vident ac rideant, tum etiam quando omnia hæc inferiora frigore & gelu rigent. Ac licet sol aliquando deficere nobis atque obscurari videatur, numquam tamen hoc ita fit, quin pars aliqua Mundi lumine ejus colustratur. Idem nos de Ecclesia dicere possumus, de Spirituali illa Sion, de Monte illo sancto; qui etsi frigore ac glacie undique infestatus fuerit, summa tamen sui parte amabilem illam verbi temporis viriditatem atque amœnitatem semper conservavit. Et quamvis glaciales illæ crustæ deficientis charitatis, tum horribilia monstra crepidini passim insidentia, teterrimæque hæreses undique affilientes, speciem ejus pulcherrimam quodammodo tegat & obscurent, fastigium nihilominus, multo altius quam ut quidquam earum rerum eo penetrare possit, pristinum suum & nativum decus ac splendorem semper retinuit, ac porro retinebit. Sed nec sol ille Justitiæ radios suos Ecclesie ita umquam subtrahit, ut eam in tenebris destituerit, quæ nunquam in Ecclesia ingruunt, nisi quando lunatici seu fanatici homines, ira, concupiscentia ambitione & superbia inflati, miserabiles nempe hæresiarchæ, pertinaces Antæi & terræ filii, terram suarum opinionum inter nos & splendidissimum illud lumen interponunt, atque ita tenebras non soli, sed oculis nostris objiciunt: detestabiles & maledicti homines, qui serenum Ecclesie cælum tam atris nubibus obducunt, immo fœdis tempestatibus inquietant & turbant.

II. At, quæso, quam tu Mundi mihi partem ab hæresi mundam, quam regionem continuis ac numquam deficientibus omnes nubes penetrantibus solis radiis collustratam ostendes, nisi sanctum illum Montem, pulchram illam & castam Sion? Italiam dico: Italiam, inquam, felicem religiosarum animarum secessum: Italiam fidei custodem, quæ saluti fuit ei, quæ salutem dat omnibus qui eam sequuntur: Italiam quæ durantibus apud nos turbis & confusionibus, quiete & gloria floruit.